)*(✠)*(

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XIII.

)*(PONTIF. OPT. MAX.)*(

PRECATVR

SEMPITERNAM FELICITATEM

BASILIVS ARCHIEPISCOPVS

 MANILAE. 



BEATISSIME PATER.

IN HIS VLTIMIS ORBIS FINIbus constituti, accepimus nuper ex Hispania, VESTRAM BEATITVDINEM Ore Apostolico pronuntiasse, *constare* de fama Sãctitatis Venerabilis Servi Dei JOANNIS PALAFOXII, Episcopi priùs Angelopolitani, & posteriùs Oxomensis. Ac faustissimus quidèm hic nuntius invenit nos amaritudine oppressos, & in multa patientia calicem Domini bibentes ob similis causae defensionem, pro qua Vir ille Dei viginti supra centum abhinc annis hausit Angelopoli: Vnde non mediocrem ob id attulit nobis tempore opportuno consolationem, & cum aliunde juxtà vota nostra, & preces evaluerit illud VESTRAE SANCTITATIS Decretum, mirum in modum exultavimus, ac verè superabundavimus gaudio. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu-Christi, Deus totius consolationis, cuius divinâ providentiâ quemadmodum certe factum est, ut Servi sui causa felicissimis adeò auspiciis iam sit cępta, ita quoque speramus, beatissimum cito finem habituram.

In id videntur nobis hodiè conſpirare ſuſpiria Epiſcoporum, & deſideria omnium Eccleſiarum, non Indiarum modò, ſed totius etiam populi Chriſtiani, expectantium optatiſsimum nobis diem, quo VESTRA SANCTITAS è Suprema Petri Cathedra Orbi Catholico annuntiet, Venerabilem JOANNEM PALAFOXIVM è numero eſſe illorum, qui cum Chriſto regnant ſine fine. Quod quidem nunc piè credimus adducti morum eius integritate, vitae ſanctimonia, & magnitudine virtutum, quarum ſuaviſsimo odore replevit univerſam Sanctorum Eccleſiam. Hae namque virtutes cum in Excellentiſsimo Epiſcopo egregiae planè fuerint, non intrà unius tantùm Dioeceſis limites conſtiterunt, ſed longiùs progreſſae, à mari uſque ad mare pervenerunt. Ad id duo praeſertim in cauſa fuerunt; inimicorum rabies, qui dum per utriuſq; mundi plagas Venerabilem virum, iniquum reddere tentarunt, ille nihilominus optimus Epiſcopus per omnes nationum gentes audivit; & multa etiam librorum eius copia, quibus undique ſparſis, inſignis virtutis, pietatis, & doctrinae ipſius nomen evaſit.

Reſplenduit itaque lux eius ſuper candelabrum poſita ad illuminandos Chriſti Fideles, eorumque mentes ſale ſapientiae condiendas; quare ſicut civitas ſupra montem, & in tanta luce collocatus, opera eius bona homines viderunt, Patrique omnium bonorum qui in coelis eſt, gloriam dederunt. Omnia ſcripta ſua in ędificationem Fidelium elaboravit, ergà quorum ę-

ter.

ternam ſalutem adeò ardentiſsimâ agebatur charitate, ut cum unius Ovilis ſolummodo commiſſa eſſet ei cura, exemplo tamen Sanctorum Patrum, ſolicitudo eius omnium Eccleſiarum. Ecquidèm natus eſſe videbatur proximorum bono, quibus ſublevandis, viſcera miſericordiae ſortitus à miſericordiarum Patre Deo, mirum certè quantum pecuniae expenderit. Suâ ille manu pauperibus cibum, potumque miniſtravit, ac parvo ſibi contentus, omnia propemodum ad eorum neceſsitates levandas conſumpſit, & pluſquam habuit erogavit. Theſaurizavit ſibi theſauros non deficientes in Coelis, quibus in ſempiterna ſecula potiretur. Sed verò nihil eſt cur velimus nobiliſsimas virtutes, quas ad finem uſque vitae impensè coluit, ſingulas percenſere numerando, cum plurium potius librorum, & operae id ſit opus. Vir certè fuit omnium virtutum, quibus ne deeſſet quidem exquiſitiſsima, ultimaque perfectio, examinavit eum Dominus igne perſecutionum, adeò terribilium, ut horrori ſit recordari. Nam ſupra dorſum eius fabricaverunt peccatores; mala quaecumque verbo, ſcriptiſque dixerunt; animae innocentiſsimae inſidiati ſunt; honorem maculare non deſtiterunt; Dignitatem turpiſsimè conculcarunt. Ille tamen per multum temporis penè ſolus derelictus, & in medio inimicorum potentiſsimorum ſuam vitam petentium, anathema pro fratribus ſuis, & totius mundi factus ſpectaculum, baiulabat amariſsimam illam ſuam Crucem, ſequens Agnum quocumque ierit. Scilicet,

Bonus Paſtor poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis, nec perdere eam timuit, dum eas ab ore leonis luctaretur, ac ab audacia inſolentiſsima quorumdam luporum, qui eas inhiabant, & ſub ſpecie hominum *benigniſsimorum* extrahere novis doctrinis à Paſtoris ovili cupiebant. Quanta tunc paſſus! Verum tantae erat molis Romana ibi iura ſtatuere, Apoſtolicam Petri auctoritatem firmare, ac Epiſcopalem poteſtatem ſtabilire! Omnia tamen ille vicit, virtute ex alto concepta pugnans adverſus poteſtates tenebrarum harum.

Vtinàm, BEATISSIME PATER, qui ſimilia bella gerimus, ſtrenuum Chriſti militem imitari mereamur! Saltem iam cepimus. Proſequi conabimur aliqua ſpe vincendi dum intuemur partem hoſtium divinitùs concidiſſe; etſi aliundè videamus reliquas Regularium phalanges, qua poſſunt vi, impetere, vario offenſionum genere ferire, verborum etiam clangore iniquorum in nos, noſtrumque Clerum martem accendere.

Verùm in tanto illorum adverſus nos furore, mirificè nos recreat *Sacer Praedicatorum Ordo*, qui de hac Philippinarũ Eccleſia optimè eſt meritus; nam cum ſatis propè eum noverimus monaſticae diſciplinae obſervantiſsimum, & optimis, valdèque doctis verbi divini diſpenſatoribus ornatiſsimum; tum etiam ipſum experti ſumus ab ingreſſu noſtro in hanc Vrbem noſtri amantiſsimum, iurium Epiſcopalium acerrimum defenſorem, atque adeò laborum, & noſtrae afflictionis participem.

Vna

Vna igitur ſimul laboramus, & obſecramus, maledicimur, & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, Deum aſsiduè deprecantes, qui tandem velit corda eorum flectere, à quibus contradicimur, ac ipſorum obcęcatas mentes in viam veritatis deducere. Sed ſanè plurimùm veremur, ne poſt tam aſsiduam pro illis ſolicitudinem, fruſtrà id quaeramus; quippè videntur nobis nimis obdurati in antiquiſsimo errore, quem à veteribus didicerunt, & veluti per traditionem à Patribus ſuis imbiberunt. Inde oritur, ut vetera quaeque novis miſceant, utque fabellis tamquam pro rationibus utantur, quibus adiungunt magnam cavillationum ſegetem ad convellenda Sancti Concilii Tridentini Decreta, Reſcripta Pontificia declinanda, ac ſimiliter plures Regias Schedulas, quae eorum ſtrictè praecipiunt obſervantiam.

Atqui duo ſunt controverſiae capita. Ac primùm exigimus â Regularibus, qui in ditionis noſtrae Eccleſiis Curam Animarum exercent, *ut ſubſint immediatè in iis, quae ad dictam Curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cuius Dioeceſi ſunt* ſitae, quemadmodum tot verbis ſacra Tridentina ſynodus decrevit. Deindè ut (iuxtà eamdem,) *Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amobiles* (quales ipſi etiam Regulares Indiarum videri volunt) *deputentur, niſi de eiuſdem* Epiſcopi *conſenſu, ac praevio examine per eum, aut eius Vicarium faciendo.*

Verùm utrumque renuunt Parochi Regulares, qui liberos quidèm se putant ab iis Tridentini statutis, obiicientes quaedam privilegia, quae ęternùm valitura videntur, & immortalia, nam pluries revocata cum sint, vigere adhuc nihilominus praetendunt. Quorum aliqua numerant Concilio Tridentino antiquiora, eorumque praecipuum, ac veluti ceterorum fundamentum illud agnoscunt, quod ab Adriano Papa VI. concessum fuit, (a) quodque ob amplitudinem, & quasi Mare-magnum facultatum in eo Regularibus creditarum, *Omnimodam* Bullam appellare consueverunt. Et quamvis hujusmodi privilegium ab Oecumenica illa Synodo (si per Regulares licet) revocatum omninò sit, & velut emortuum evaserit; tamen revixisse posteà clamabunt vi alterius à SSmo Pontifice Pio V. concessi, (e) quod confirmatum quoque, & innovatum fuit ab eius successore Gregorio Papa XIV. (i)

Quae cum ità sint; aerem verberant Episcopi, dum nituntur persuadere Regularibus, contraria prorsus suis Privilegiis sancita esse postmodum à Clemente Papa VIII. (o) deindè à Gregorio Papa XV. (u)

(a) *Bulla quae incipit* Exponi Nobis; *exped. an.* 1522.

(e) *Bulla quae incipit* Exponi Nobis; *exped an.* 1567.

(i) *Duae Bull. una incipit*, Quantum animarum, *altera*, Exponi Nobis, *exped. an.* 1591.

(o) *Bulla quae incip.* Religiosorum quorumcumque *exped. an.* 1601.

(u) insuper â Clemente Papa XI. (a) demùm â Benedicto Papa XIV. (e) qui ut rem hanc redderet indubiam, quatuor Apostolicas litteras expedivit, quarum duas posteriores ad instantiam Domini Ferdinandi Hispaniarum Regis Catholici dedit.

Frustra, inquam, agunt Episcopi cum Regularibus etiam post tot revocationes privilegiorum, cum nihili faciant ea iussa Pontificum, quae facili opera norunt eludere, ut ab observantiâ Concilij Tridentini se expediant, idque, licet utriusque ipsorum decreta observari in Ecclesiis Indiarum à Regibus Catholicis sit praescriptum. Etenim Catholici Hispaniarum Reges, de Sacrorum Canonum observantiâ optimè meriti, & de Tridentini Concilii executione maximè soliciti, Episcopis per Indias sibi subiectas constitutis opem, auctoritatemque semper praestiterunt, ut legitimâ suâ jurisdictione in Regulares Animarum Curam exercentes in suis respectivis Dioecesibus pacificè fruerentur. Cujus quidèm rei certissima sunt argumenta Schedulae Regiae propemodum infinitae circà hanc rem diversis temporibus expeditae, quae ut maius eis, & per-

(u) *Bulla*, Inscrutabili, *exped. an.* 1622.

(a) *Bulla*, *quę incip.* Cum sicut; *expedita ad Archiepiscopum Manilae per manus Regias*, *an.* 1705.

(e) *Prima*, *quae incip.* Firmandis, atque asserendis, *exped. an.* 1744. *Secunda*, Quamvis, *exped. an.* 1745. *Tertia*, Cum nuper, *exped. an.* 1751. *Quarta*, Cum alias, *exped. an.* 1753.

perpetuum robur accederet, in Leges redactae sunt. Verùm in tantâ Constitutionum, & legum copiâ, sonant adhuc in auribus nostris Regularium privilegia, & non sonant modo, sed ea ipsi omninò valere contendunt, imò eisdem cum magno Animarum discrimine utuntur.

Sed quaenam est, BEATISSIME PATER, eorum privilegiorum tanta vis, ut nullis Summorum Pontificum contrariis statutis infringi posteà potuerint? Aut quaenam potius est horum Regularium facultas, & potentissima virtus, ut potestatibus sublimioribus tan facilè, & temerè resistere non vereantur? Quaenam est ipsorum vivendi, agendique libertas, ut utriusque supremae auctoritatis, quibus in terris nulla maior, sacratissimas leges impunè liceat ipsis repugnare, ac praetextu quorumdam privilegiorum, quae nulla iam sunt, normam sibi operandi ad libitum in rebus Ecclesiae gravissimis statuere! Profectò, dum Regulares ita se gerunt, ut Episcoporum jurisdictionem semper, & omninò fugiant, assequuntur quidem eiusmodi immunitatem, sed cum id contra apertissimam Legislatorum intentionem, & voluntatem fiat, à Romani etiam Summi Pontificis, Dominique Regis auctoritate exempti quoque hac super re satis videri volunt. Imo verò ab eis constituta se venerari humillimè confitentur, ac utriusque fidissimos esse Ministros vocitant, quod certè ita esse credimus, sed opera desideramus; dicunt enim, & non faciunt. Interim autem talia faciunt, quae maxi-

maximè dedecent Miniſtros Chriſti.

Etenìm cum, Pontificiis Conſtitutionibus, ac Regiis Schedulis in medium productis, nimis ab Epiſcopali juriſdictione urgeri ſentiunt; tunc quidèm homines Religioſi terrorem nobis incutere, & omnia in tranſverſum agere tentant; nam in ſuae ipſorum cauſae deſperationem adducti ob perſpicuam ratiuncularum, quas contra proferre aſſueverunt, ineficaciam, furore quodam correpti, acerbè porrectis libellis minantur, deſerturos ſe inſimul omnes Inſularum Parochias, & abſque Sacerdote, & Altari Populos relicturos. Quam deſertionem eo inſolentiùs nobis obiectant, quo certo eſt certiùs, pari in eventu eam aliquando exequi optimos Vineae Domini mercenarios, & tentaſſe, & cępiſſe. En, BEATISSIME PATER, quem ad finem ſeſe effrenata iactet Regularium audacia! Atque huius generis argumentis admodùm torquent nos, quò à re propoſita deſiſtamus, propter Clericorum inopiam, quam in praeſens hi Fratres noſtri Epiſcopi patiuntur.

Conſtat igitur Philippinarum Parochos Regulares ſuam ab Epiſcopis quoad animarum regimen exemptionem haud poſſe defendere, niſi vi, & minis. Quodſi ex arborum fructu earum naturę genus dignoſci debet, patet iam quo Religionis ſpiritu regantur ii Regulares cum flocci eos facere intueamur bonum commune Reipublicae, horum Populorum fidem, totque animarum ſalutem, quibus omnibus non

dubitant anteponere propriae vitae commoditatem, & omnimodam à legibus Ecclesiasticis agendi libertatem.

Nec tamen malarum artium, quibus pro hac re abundant, hic finis. Abyssus abyssum invocat, atque incredibile videtur quantum laborent, ut novis criminibus enorme illud crimen adaugeant.

Optimè Viri callidi norunt, quàm esset ipsorum nomini, & Instituto ignominiosum, si vulgus intelligeret, eos non alia de causa velle deserere administrationem Populorum, quibus praesunt, quàm unius Iurisdictionis Episcopalis odio acti: quare, ut quo pollent dolo, hanc infamiae notam à se pellant, Iurisdictioni potiùs Episcopali apud gentes has omnem causam malorum adtribuunt, quae ipsissimâ Regularium malitiâ sequerentur, si in praxim reduceretur Enim verò quid fatigamur? Nonne hi ex illis sunt, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, vaniloqui, protervi, tumidi, seipsos amantes, inobedientes Praepositis Ecclesiae Dei, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, quos vitare nos Paulus monet? Nam quaenam sunt illa mala, quae passim praenuntiantur, si statuatur Episcopalis Iurisdictio? Nempe, defectio Regularium Parochorum, qui propterea desererent omnes Populos; indeque solitudo Ecclesiarum, harumque gentium, & fidei desolatio.

Verum quid iniuriosius excogitari unquam potuit in Spiritum Sanctum, qui po-

posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo? Quid insolentius in Sanctam Tridentinam Synodum, quae à Spiritu Sancto edocta decrevit, ut Regulares Parochi *immediatè subsint* Episcoporum Iurisdictioni? Quid audacius in Summum Pontificem, Vniversalis Ecclesiae caput, qui multoties ita esse debere declaravit, & iussit? Quid scelestius in ipsum Dominum nostrum Regem Catholicum, qui pluries etiam iuxta Sedis Apostolicae statuta id fieri precepit? Etenim si ex eo Iurisdictionis Episcopalis usu, & non potius ex pravitate Regularium, tot tamque perniciosissima mala evenire possent; nonne admodum contraria statuissent? Ipsi, ipsi certè Parochi Regulares tunc casus Templum Dei everterent, in cuius ędificationem, non verò in destructionem constituti sunt Episcopi, quibus adiuvare potius deberent, & non iis persecutionibus facere eos gemere sub onere tanti Ministerii, cùm pervigilent supra gregem Dominicum, eosdemque Parochos quasi rationem pro utrorumque animabus Deo reddituri.

Ecquidem constat, Episcoporum esse, oves supremi Pastoris Christi pascere, ac de optimis Ministris Ovilia suae Dioecesis providere, omnique etiam cura vigilare super his, ne dormiant, sed magnâ solicitudine studeant adimplere sui opus Ministerii. Parochorum verò, etiam Regularium (praeter ea) est, quoad Animarum curam subiacere Episcopis, quorum Ecclesiis praesunt. Si autem Parochi,

efficii sui immemores, insurgant adversus proprium Episcopum, eique Baculum Pastorale è manibus detrahant; tunc certè de Ordine Hierarchico, divinitus instituto, actum erit. Quodsi Episcopus, hac conspecta divini Ordinis eversione, commotus, & coactus, sese iterum erigere laboret, ac illud Episcopatus insigne, sibi ereptum, recuperare: ex adverso autem obstent Parochi, atque in corde suo dicentes, non est Deus, qui cogere nos possit, deserant Populos, notissimoque cum Ecclesiarum damno fugam arripiant; utrorum quis peccaverit? Episcopus ne, qui honorem Dei viventis zelans, studeret ab ipso, pro animarum bono regimine, constituta, sed nihilominus eversa, in suas quaeque sedes restituere; an potius Parochi, qui superbia quadam elati Episcopo contradicerent, divinisque, & humanis iuribus spretis, Sanctuarium Magni Dei susdeque verterent?

Atque ex his, BEATISSIME PATER, dignosci poterit, quibus cum hominibus agamus. Cum iis scilicet, qui in rebus huius momenti norunt mutare quadrata rotundis, & cum iis, qui cum primum vinum, bonum posuerint, postea inebriati, tunc id quod deterius est cogitant. Profecto haud potest negari, Regulares omnium primos ad has Insulas adpulisse, quò Iesu Christi Evangeliũ gentibus Idololatris annuntiarent, quibus laborantibus huic Ecclesiae fundamenta iacta sunt. Itaque primum vinum, bonum posuerunt. Multitudine autem credentium decursu temporis fa-

cta

cta gloriati sunt in laboribus suis, cum gloriari eos non oporteret, nisi in Cruce Domini Nostri Jesu-Christi, ac separatim, & independenter ab huius gregis Pastore operari concupiverunt; unde sudore laborum suorum inebriati, magno fuerunt impedimento ad stabiliendam Ecclesiae Sanctae disciplinam, quae unanimi veterum Patrum sententia, fidelis est custodia, & veluti anima regiminis animarum. Itaque abierunt in vias suas, ut nulli huius Ecclesiae Episcopo subiecti viverent; quod quidem ut assequerentur, id quod deterius est cogitarunt: nempe minas, & vim Episcopis, desertionemque omnium Parochiarum, si iuxtà ea quae in Ecclesià constituta sunt visitare eos vellent, & reliquum Iurisdictionis Episcopalis ergà ipsos exercere.

Iam verò suprema haec sunt cuiusdam desperationis, in quae erumpunt ad vitandam Iurisdictionem Episcopalem. Sed prius aliis mitioribus armis adgrediuntur, quibus bonum nostrae causae finem avertant, ad idque viam sibi parare consueverunt plurium cavillationum copia instructi. Quippe rem umdique circumspiciunt, si aliquid inane inveniant, quod statim obiiciant, ut causam hanc passim suspendi gaudeant, & ne hoc modo unquam accidat, ut Rescripta Pontificia, & Sacra Tridentina Synodus observentur. Igitur Privilegia ad libitum construunt, addunt, amplificant. Eorum autem Revocationes restringunt, deprimunt; ac qualibet de causa reiiciunt. Miriades fallaciarum semper

consectantur, quarum multitudine rem meridiana luce clariorem obnubilent, obscurent, confundant. Et cum res haec sit maximo periculo animarum saluti; nihilominus lęti modo vivere apparent, qui vel talia cogitant, vel iam defunctorum cogitatis utuntur. Quae quidem sępe nobiscum mirabundi reputantes, multum sane doluimus, cum animadvertimus quam longe lateque per mortalium animas grassata sit pestis illa morum veritatis, & sanae doctrinae *Probabilismus*; cuius praesidio si circa alia homines subtilissimi se muniunt, praecipue circa hanc rem.

Nam cum decretum Concilii Tridentini super Iurisdictione Episcoporum in Parochos Regulares, sit toties à Sede Apostolica innovatum, & repetitum: cum millies etiam executioni demandari oportere à Domino Rege sit praescriptum: cum Privilegia, quae adlegantur à Regularibus, nulla in rerum natura sint, quippe sępissime revocata: cum denique causa iam finita sit; sed tamen nondum finitus error. Etenim in re indubia, & inconcussa, adhuc cęcutire volunt plurimi Regularium, qui desideriis suis, & non potius veritati consulentes, satagunt investigare ratiunculas adversus clarissima statuta, & leges, ut faveant cum animarum discrimine propriae ipsorum *libertati*; & *exemptioni*.

Mira nobis opponunt, mira loquuntur, mira etiam scripturiunt. Eorum quidam non dubitant asserere, nullam esse vim Constitutionum Apostolicarum, à quibus

sua

ſua eſſe revocata Privilegia, dicimus; quia, inquiunt, praeſcriptum eſt iam de Iuriſdictione Epiſcopali. Alii aliter id ipſum adfirmant, oppugnantes, ei ſmodi ſua Privilegia, natura ſua eſſe irrevocabilia. Alii revocari poſſe concedunt, ſed revocata eſſe negant, ob vitia quae Conſtitutionibus illis Pontificiis inurere ſolent. Alii denique revocata fortaſſe concedent, ſed in praxim reduci debere negabunt, cum id reputent inconveniens ipſorum fragilitati, quae ſuſtinere forſan non poterit immenſum illius Iuriſdictionis onus.

Quae cum mira, & inaudita ſint, non deſunt tamen unicuique horum ſuae ſententiae Patroni ex ipſis Regularibus, quorum huiuſce generis ſcripta iis prodigiis, & portentis referta ſunt; quos Patronos ſuſpiciunt tanquam inſignes in Eccleſiâ Doctores, & quaedam ſapientiae Oracula, eoſque propterea pluris ęſtimant quam ipſos Concillii Tridentini Patres, & quam Oraculum Eccleſiae Vniverſalis.

Atque omnia haec adeo ſunt vera, ut horum cauſa in vanum ſudaverit hucuſque Roma cudendo tot ſtatuta adverſus prędicta Regularium Privilegia; & niſi remedia huic tanto malo adplicentur, quid in futurum ſperandum eſt nobis ex tanta ob loquendi, & opinandi illorum licentia ſuper Conſtitutionibus Apoſtolicis? Profecto nihil, niſi ut creſcant, & in miſerandam Eccleſiaſticae auctoritatis perniciem quotidie maius robur accipiant graviſſima illa damna, quae Innocentio X. Pontifici Maximo indicavit Venerabili Epiſco-

pus JOANNES PALAFOXIVS in celeberrima ad illum Epistola; in qua cum dixisset, nocentissimum esse dignitati Sedis Apostolicae liberum illum modum interpretandi Apostolicas Constitutiones, & Privilegia; caussam reddidit: *Nam*, inquit, *hac interpretatione auctoritas, & potestas Pontificum infringitur, Ecclesiae gubernatio turbatur, & omne Sacrae Iurisdictionis robur, & dignitas debilitatur, & quod nefarium est, omnes penè à Sede Apostolicâ Constitutiones, quae quotidie magno Reipublicae Christianae commodo statuuntur, & divulgantur, ad inanem, & vanam, & umbratilem legum formam rediguntur.* Nihil hoc verius, ac nihil quoque remedio dignius.

Proinde nihil felicius Ecclesiae Catholicae hac tempestate accidere poterat, quam ut nocentissima haec germina *Probabilismi* penitus abscinderentur. Quid verò, quod hoc quotidie fieri speramus! Experimur enim sanam doctrinam in Christianâ Republicâ novas in dies vires accipere. Albescere zizania intuemur. Prope esse ęstatem conspicimus. Vnde illi tot malorum radici perniciosissimae iam iam adpositam securim videmus. Vtinam; quod à Deo Optimo Maximo precamur; Vniversalis Ecclesiae clavum tenente Summo Pontifice CLEMENTE XIII. è medio agri Dominici haec zizania eradicentur, & sub tanto Ecclesiasticae disciplinae, sanaeque Doctrinae Vindice illarum semina pravarum Doctrinarum diris devoveantur. Quod quidem opus sanè arduum; sed tantum Pontificem res ista quaerit, cui assequendae

dae certè non desunt validissimi cooperatores.

Quoad nos verò attinet, etsi virium nostrarum debilitatem non ignoremus, & minimi propterea omnium simus Episcoporum; curabimus tamen ne in vacuum omninò laboremus. Ager, qui nobis obtigit colendus, zizaniarum fecundissimus, ac undequaque spinis est consitus; quibus malis ut pro rerum necessitate aliquo modo mederemur, bonum semen seminare statim studuimus. Ac praecipue curas intendimus, ut Seminarium Ecclesiasticum institueremus, in quo boni, strenuique Operarii ad animarum curationem formentur, ac cuius subsidio statui possit Ecclesiastica Disciplina. Cui operi utilissimo licet perficiendo non nobis suppetat, spem verò satis bonam habemus, Dominum Regem nobis adiuturum. Nam illud est CAROLI III. Hispaniarum Regis Catholici penè divinum cor ut cum nequeat nisi benefacere, nobilissima quoque eius studia in id praesertim dirigũtur ut quemadmodum Respublica, ita etiam Ecclesia optimos habeat Ministros. Profectò videtur è genere Sacerdotali electus ad res divinas curandas, Ecclesiarum bono providendum ac earum felicitatem promovendam, quo regnante firmissimè confidimus, hanc Philippinarum Ecclesiam, quoad regimen, Doctrinam, disciplinam, fidem etiam magna incrementa habituram.

Verùm interea ob immensum quo absumus à Regia maris tractum, multa ab his Regularibus patimur, qui cum nolint pro-

prio Episcopo subesse quoad curam Animarum, egrè etiam ferunt Seminarii institutionem, in quo Clericorum copiam non mediocrem intuentur, satis idoneam ad Parochias administrandas, praeter plures alios, qui ad normam ibi statutam facti, & formati, exierunt postea ad Parochi munus lecti, cui plenè profecto satisfaciunt. Hinc ergo invidiae, obmurmurationes, detractiones, quibus non verentur tam nos, quā nostrum Clerum apud gentes diffamare, domos circumcursantes secularium, & quae non oporret loquentes, imo quae nec licent, cum non nisi scandala pariāt in destructionem huius tenèrrimae adhuc Ecclesiae. Itaque undique nos premunt potentia, & dolo, calumniis, & pravis machinationibus. Sed undique etiam premimus constantia, & veritate, patientia, & amore, semper parati ad vitam prius emulorum irae tradendam, quam Ecclesiae statuta, sedis Apostolicae iussa, & Baculum Pastorale prodamus.

Ad id certè, praeter alia, stimulos nobis admovet invictissimum Venerabilis JOANNIS PALAFOXII robur, cuius data occasione, in nostra excidit calamus, ut VESTRAE BEATITVDINI quamdam statùs nostrae Ecclesiae ideam exhiberemus. Capita inveterati damni solummodo indicavimus, sicuti & laborum, quos pro medicina adponenda perferimus. Verùm quae insignis ille Episcopus pertulit pro Ecclesiastica reformatione procuranda, maxime solantur nos, animosque nobis faciunt ad equalia quoque, si Deo ita placuerit,

rit, perferenda. Illius imago virtutis, & constantiae nocte, dieque per omnes horas nobis obversatur; & mirum certè quantum eius memoria ad omnia haec toleranda prosit. Ex hoc vero probè intelligimus quos uberes fructus ex tanti Episcopi virtutibus ceteri possint percipere ad militãdum pro Ecclesiastica disciplina, & animarum salute, presertim si exemplar hoc illustre, quod sequi debeant, solẽniter à VESTRA SANCTITATE probatum è Cathedra Petri videant. Per Deum igitur immortalem rogamus VESTRAM BEATITVDINEM, velit totis viribus impendere quod Sanctissimae vitae superest in hac causa, quae communis est, perficienda, ut quantocius omnes Episcopi mereamur hic colere cum universa Ecclesia admirabilem hunc Episcopum, quem confidimus VESTRAM BEATITVDINEM, coleesti illa gaudentem visurum, cum sibi apparuerit gloria Magni Dei.

Æternam precamur VESTRAE BEATITVDINI salutem, ad cuius pedes humillimè provoluti, huic Gregi, & Pastori suam Apostolicam Benedictionem, impartiri velit, enixè rogamus. Manilae decimo quinto Kal. Novembris an. 1768.